

20/

## DECRETUM

*De recursu in suspensivo  
contra dimissionem a religione*

## SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Visa instantia diei 10 iulii 1972 patroni ex officio partis recurrentis, qua petit ut declaretur vis suspensiva recursus interpositi apud Hoc Supremum Tribunal, quae, ex documentis allatis, apparet denegata a parte resistente;

Audito Promotore Iustitiae deputato in causa;

Considerato quod in can. 647, § 2, n. 4 Codicis Juris Canonici, qui regit « religiosos qui vota temporaria nuncuparunt », ita legitur: « Contra dimissionis decretum est religioso facultas recurrenti ad Sedem Apostolicam; et, *pendente recursu, dimissio nullum habet iuridicum effectum* »;

Perpenso quod eadem dispositio a fortiori urgeri debet relate ad religiosos qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali exempta (can. 666);

Statuta a Const. Apost. « *Regimini Eccelsiae Universae* » diei 15 augusti 1967 (art. 106) possibilitate « appellationis seu recursus adversus decisionem competentis Dicasterii » ad Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae « quoties contendatur actum ipsum legem aliquam violasse »;

Visa decisione Huius Supremi Tribunalis diei 9 iunii 1971 circa effectum suspensivum recursus ad Signaturam Apostolicam ex parte parochi amoti a paroecia;

Attenta declaratione Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, diei 1 iulii 1971 (A.A.S., Vol. LXIII, fasc. 11, p. 860), qua edictum est, quoad processum remotionis parochi, recursum a decisione S. Dicasterii ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae « non esse tantum in devolutivo, sed etiam in suspensivo ex analogia cum can. 2146, § 3 C.J.C. »;

Cum eadem sit ratio decidendi relate ad quaestionem motam in causa de qua supra,

d e c l a r a t

Recursum a Religioso Rev. P. Paulo interpositum apud Signaturam

Apostolicam adversus decisionem S.C. pro Religiosis et Institutis Saeularibus, qua confirmatur dimissio contra ipsum pronuntiata a Moderatoribus sui Ordinis, habere vim suspensivam ex analogia cum can. 666 et 647, § 2, n. 4 Codicis Juris Canonici.

Idque notificetur omnibus quorum interest.

Romae, e sede Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 26 iulii 1972.

DINUS Card. STAFFA, *Praefectus*

✠ AURELIUS SABATTANI, *a Secr.*

L. ✠ S.